

et immobilem; licet juxta dispositionem loci possit amoveri et in alio loco opportuno et decenti locari. N. 198 ad 2 die 23. Maii 1603. Caer. Ep. lib. I. cap. XIII.

Semper convenire, ut sedes Episcopi sit ornata serico vel alia materia coloris convenientis temporis. *Ibidem* ad 3. Episcopus sedem sibi parare potest in cornu evangelii cum tribus gradibus illamque ornare. N. 227 ad 4 die 10. Jan. 1604. (Caer. Ep. l. I. c. XIII. n. 2 et 3.) N. 4317 ad 5 die 6. Aug. 1763.

Sedes Episcopi esse debet pulchrior et major quam gubernatoris, non tamen coloris rubei. S. R. C. in *Perusina* 3. Octb. 1615. Episcopi sedes semper est ornanda. S. R. C. 23. Maii 1503 in *Colimbr.*

Non licet Archiepiscopo sub suo throno habere quinque gradus. N. 917 die 5. Julii 1631.

Non licet Episcopo erigere thronum cum gradibus excedentibus altitudinem altaris majoris. N. 928 die 2. Aug. 1631.

Sedes Episcopi in choro debet esse altior sedilibus Canonorum; ad eam autem ascendatur per tres gradus. N. 3551 ad 25 die 13. Mart. 1700.

In *Parasceve* sedes Episcopi, sedilia Canonorum et aliorum ac tota tribuna sint penitus nuda. *Caer. Ep.* l. II. c. XXV. n. 1. 35.; c. XXVI. n. 1.

Sedes Episcopi vario modo collocatur pro diversitate altarium, apud quae statui debet. Nam aut altare est in medio sub tribuna pariete distinctum, ita ut in spatio illo constitutus sit chorus, et nunc Sedes episcopalis e regione altaris parieti applicabitur, ita ut Episcopus in ea sedens

respiciat recta linea in mediam altaris partem habeatque hinc inde sedilia Canonorum. Si vero chorus sit in medio Ecclesiae et altare adhaereat parieti vel ab eo modico sit intervallo separatum, ipsa Sedes episcopalis erit collocanda a latere evangelii. Utroque autem casu *tribus gradibus* ad eam ascendatur, qui pannis aut tapetibus tegantur. Forma sedis erit praealta et sublimis sive ex ligno sive ex marmore aut alia materia fabricata in modum Cathedrae et throni immobilis, quales in multis ecclesiis antiquioribus videmus: quae debet tegi et ornari aliquo panno serico concolori cum aliis paramentis, non tamen aureo, nisi Episcopus esset Cardinalis: et super umbraculum seu baldachinum ejusdem coloris appendi poterit, dummodo et super altari aliud simile vel etiam sumptuosius appendatur, nisi ubi super altari est ciborium marmoreum vel lapideum: quia tunc superfluum est nec aptari commode potest. Hujusmodi sede utetur Episcopus, dum Vesperae et Missae per ipsum solemniter celebrantur. Cum vero missis non solemnibus et Horis Matutinis aut aliis Episcopus assistit, si fuerit in medio ecclesiae chorus ante altare, poterit ibi in sede pro ipso ordinata residere, quae remanebit in eo loco, ubi ex consuetudine ecclesiae esse solet, sive longius sive propius ab altari distet. At ubi chorus est sub tribuna, poterit in Sede episcopali supradicta tam in solemnibus quam non solemnibus officiis esse. Si forte aliquis S. R. E. Cardinalis Legatus de latere vel non Legatus rei divinae interesset, convenit ei Sedes episcopalis supradicta; Episcopus vero, si celebret, in faldistorio in cornu epistolae, si non celebret et chorus sit in Presbyterio sub tribuna, sedebit in digniore parte chori. Quod si Episcopus quoque esset S. R. E. Cardinalis,

si Legatus, haberet sedem a latere evangelii; sedebit quoque Episcopus Cardinalis non celebrans in eodem loco et plano et sedibus aequalibus prope Legatum. Eodem quoque modo sedebunt, si plures adessent Cardinales, dummodo Episcopus Cardinalis sit omnium postremus, Celebrans vero in faldistorio, ut supra. Si vero Legatus esset in sede episcopali sub tribuna, sedebit Episcopus Cardinalis et alii Cardinales, si adessent, prope Legatum, ut supra dictum est; ipse autem simplex Episcopus sederet vel ex opposito in sede humiliori vel in digniore parte chori aut in faldistorio, prout dictum est de Cardinali Legato vel non Legato praesente pro diversitate situationis chori et Episcopi celebrantis vel non celebrantis. Quod si Episcopus sit Cardinalis et intersit alius vel plures Cardinales non Legati, poterunt omnes ab eadem parte Evangelii, ubi solet esse sedes episcopalis, sedere in sedibus aequalibus vel in digniore parte chori, quando est sub tribuna, dummodo Cardinalis Episcopus sit omnium postremus. Episcopalia munia remittet exercenda Cardinali praesenti vel, si plures sint, priori in ordine. Quae si Cardinalis praesens facere recusaverit, poterit Episcopus Cardinalis omnia praedicta munia vel remittere ad celebrantem vel ipse exercere et in fine, quando benedictionem solemnem erit daturus, accedere ad altare et inde populo benedicere. *Metropolitanus* absente Legato vel alio Cardinali habeat aliam sedem ex opposito in cornu Epistolae similiter ornatam, ut sedes episcopalis: alii vero Episcopi hospites sedebunt in digniore loco post Episcopum Dioecesanum supra omnes Canonicos; *Abbat* *Dioecesani benedicti habentes usum mitrae et baculi* habebunt locum concedentem pro judicio et prudentia Episcopi, dummodo non sit supra nec in-

ter Canonicos. *Nuntii Apostolici habentes in eo loco facultates Legati de latere* sedebunt in alia sede ornata, prout de *Metropolitano* dictum est, non tamen in sede propria Episcopi, et habebunt honores ante Episcopum non celebrantem. *Alii vero Nuntii Apostolici non habentes facultates Legati de latere*, vel habentes sed non in eo loco, et dum sunt in itinere et contingat eos transire per aliquas civitates vel Ecclesias Cathedralis seu Metropolitanas, sedebunt in digniori et eminenti sede chori et habebunt honores immediate post Episcopum et in Processionibus et aliis actibus similibus habebunt praesentiam supra omnes Protonotarios et supra Canonicos. *Visitor Apostolicus*, si erit Episcopus, habeat sedem sicut Nuntius non habens facultatem Legati de latere, nisi talis Nuntius esset praesens, cui tunc cedit sedens post eum.

Caer. Ep. lib. I. cap. XIII. n. 1—11.

Trojana.

Auditis et consideratis omnibus, quae pro parte canonicorum ecclesiae Trojanae exposita fuerunt circa situationem chori et sedium tam pro Episcopo quam pro dignitatibus et canonicis in ecclesia Cathedrali, ita ut convenienter et secundum debitas regulas libri caeremonialis locentur et disponantur, Sacra Rituum Congregatio hoc negotium ad Illmum et Rmum D. Cardinalem Pinellum remisit, ut auditis partibus et praesertim Episcopo Trojano, qui in Urbe tunc erat, quid decentius et melius secundum debitas caeremonias in casu proposito convenire judicaret, decerneret et declararet. Quare per praedictum Illmum et Rmum D. Cardinalem Pinellum iterum diligenter consideratis omnibus, quae a Canonicis praedictis ecclesiae Trojanae narrata fuerunt et in voce etiam ipso Episcopo Trojano audito, qui vera esse,

quae narrantur a Canonicis in memoriali ab eis presentato, affirmavit, juxta regulas libri caeremonialis lib. 1. cap. 13 de sedibus Episcopi et legati etc., quando altare adhaeret parieti, ut in ecclesia Trojana nunc adhaerere praesupponitur, sedes Episcopi non in ingressu chori, ut nunc esse dicitur, sed in cornu evangelii a dextris apud altare locari debeat, idem Illmus et Rmus D. Cardinalis Pinellus declaravit, decentius, convenientius et commodius esse, tam pro Episcopo, Dignitatibus et Canonicis quam etiam pro universo populo, qui ad ecclesiam ad divina officia audienda venerit, si altare in medio prope ingressum chori reducatur, ita ut sacerdos in ea celebrans faciem ad populum vertat et sedes Episcopi apud parietem contra altare constituatur et locetur cum decenti ornamento. Et apud sedem Episcopi hinc inde sedes seu stalla pro Dignitatibus convenienter ornata locentur et successive hinc inde aliae sedes seu stalla pro aliis Canonicis disponantur.

Et ita ut dictum est juxta declarationem praedicti Illmi et Rmi D. Cardinalis Pinelli in praedicta ecclesia Trojana altare et sedes Episcopi, Dignitatum et Canonicorum restituendas et locandas esse eadem S. R. C. censuit et declaravit.

Die 9. Octobris 1610.

(Anal. J. P. 1863 p. 109 n. 365.)

Episcopi sedes apud parietem contra altare constituenda et locanda est cum decenti ornamento et apud sedem Episcopi hinc inde sedes seu stalla pro Dignitatibus et Canonicis deponi debent. S. C. R. in Trojana 9. Oct. 1610.

k) Episcopi cum Governatore concionem audientis.

Vd.: Praeses.

Perusina.

Circa formam et qualitatem sedium,

quibus uti solent et debent tam Episcopus quam Governator civitatis Perusinae, dum in ecclesia Cathedrali simul audiunt concionem, Congregatio Sacrorum Rituum audita relatione Illmi et Rmi D. Cardinalis Gallo, cui haec causa commissa fuerat, censuit et declaravit: posse Episcopum uti sede renovata cum pallis aureis juxta formam antiquae sedis combustae factae jam a bo. me. Cardinali Armelino ejusdem ecclesiae Archidiacono. Et Grubernatorem posse apud Episcopum sedere in alia sede camerali arbitrio suo eligenda, dummodo non sit major nec pulchrior dicta sede, qua uti debet Episcopus et neutra sit coloris rubri. Et ita censuit et declaravit.

Die 30. Octobris 1615.

(Anal. J. P. 1863 p. 138.)

l) In Nocte Nativ. D.

Episcopus ad Matutinum in nocte nativitatis potest sedere vel in sede chori vel in sede episcopali a cornu evangelii, prout melius sibi videbitur et magis populo satisfecerit. S. C. R. in Alexandrina die 25. Mart. 1605 ad 15.

m) In Processione.

Consuetudinem immemorabilem Ecclesiae Granaten. omnino servandam esse et Archiepiscopum in sua possessione deferri faciendi sedem in processionibus, ubi hae consistere consueverunt, tam praesente quam absente regio magistratu, manutenendum esse. N. 370 die 10. Maii 1608; n. 3111 die 4. Mai 1686.

Vd.: *Instructio Clem. §. XXI. n. 9; Sedes in processione.*

n) Ad altare SSmi. Sacr.

Non licet Archiepiscopo erigere sibi thronum episcopale a dexteris altaris majoris, in quo asservatur SS. Sacra-

mentum cum quatuor gradibus. N. 917 die 5. Julii 1631.

o) Sumptus.

Sedes archiepiscopalis aere proprio Archiepiscopi, non ex Sacristiae sacris vestibus est ornanda. Sacra Congreg. Concilii in Messanen. Die 4. Sept. 1586.

p) In Synodo.

Ad dub.: An et in quo loco sit collocanda sedes Archiepiscopi durante sessionibus synodalibus? S. C. resp.: Arbitrio Episcopi. N. 3549 ad 3 die 23. Jan. 1700.

Cf.: *Sedes Cleri in Synodo; Sedes Episcoporum int. sese in Synodo etc.*

q) Vacatio, a quo tempore computanda?

Quando Episcopus sciens et volens transfertur, prior Sedes episcopalis vacat illico a die factae in curia seu Consistorio Papae translationis; communis; ac certa cum Abbat. Pannorm. Consil. 101 num. 3 et 4. lib. 2., Rota part. 1 recent. decis. 475 n. 6 et sequent. Ibi sub n. 16 ostendit opinionem illorum, qui dixerunt non induci vacationem Episcopatus nisi post adeptam possessionem secundi, esse erroneam veluti innixam auctoritati Gloss. in cap.: Si quis jam translatus 21. dist. 2, quae loquitur de translatione abusiva; Fagnan. in cap.: Quanto 3. de transl. Episcop. n. 99., Barbos. in Collectaneis ad cap. 1. n. 5. de transl. Episcop. et lib. 1. Juris Eccles. univer. cap. 19. n. 37., ubi refert notabilem declarationem desuper emanatam in haec verba:

„Die 14. Decembris 1624. Sacra Congregatio illustrissimorum Cardinalium negotiis Episcoporum praeposita SS. D. N. approbante censuit Ecclesiam, a qua volens transfertur seu quam admittit Episcopus, vacare ab

Decreta authentica. Tom. III.

eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis Suae, etiam ante expeditionem literarum apostolicarum vel adeptam possessionem secundae Ecclesiae. Et postquam hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus habuerit, etiam ex testimonio seu documento Secretarii s. Collegii, illico teneri eum abstinere exercitio ordinariae jurisdictionis eamque transire in capitulum Sede vacante et ita posse et debere capitulum statim ea jurisdictione uti ac Vicarium juxta Tridentini Concilii praescriptum eligere sedemque vacantem publicare.“

*Si transfertur Episcopus absens et ignorans, non vacat prior Ecclesia ante praestitum a translato consensum nisi secus exprimat a Papa; ita Abbas in cit. Consil. 101. n. 4. lib. 2., Fagnan. in cap.: Quanto n. 96. et sequent. citans alios, Reiffenstuel lib. 1. Decretal. tit. 7. n. 41. Et ratio est, quia quando Papa transfert Episcopum absentem et ignorantem de una ad aliam Ecclesiam, non aliter solet transferre (nisi secus exprimat) quam sub conditione, quod is consentiat vel expresse vel saltem tacite, acquiescendo videlicet translationi de se factae; ita *Jour Monachum* in cap.: *Generali* n. 10. de election. in 6. asserens, se hoc vidisse pluries in Curia declarari. In ipsa enim beneficiorum ecclesiasticorum collatione subintelligitur conditio illa; si *provisus consenserit*, ut legitur in capitul.: *Si tibi absenti* 17. de praebend. in 6.*

Ecclesiam, a qua Episcopus de suo consensu transfertur, ab eo tempore vacare, quo idem Episcopus alio vinculo in Consistorio absolvitur, etiam ante explicationem literarum apost. vel adeptam secundae ecclesiae possessionem. Postea, quum vero ex testimonio seu documento Secretarii s. Collegii

vel alio modo hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus translatus habuerit, illico cum exercitio ordinariae jurisdictionis abstinere debere eamque in capitulum eadem jurisdictione uti, sedem vacantem publicare atque Officiale seu Vicarium ad Conc. Tr. praescriptum constituere possit et debeat.

Die 20. Mart. 1625.

25) Episcopi Administrat.

a) Ad altare.

Episcopus Administrator Ecclesiae Sarsinaten., dum cantat Missas et Vesperas in Pontificalibus, non potest sedere super Cathedra episcopali elevata quatuor gradibus parata cum baldachino ac postergale. N. 3952 ad 2 die 22. Aug. 1722.

Cf.: *Baldachinum Episcopi Administrat.; faldistorium.*

b) In choro.

Ad dub.: An dum choro assistit Episcopus Administrat. uti Praepositus, prima capituli dignitas retinere debeat primum stallum?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Affirmative.“

Atque ita rescribendum rata est ac ex alias etiam decretis declarare. N. 5140 ad 4 die 23. Sept. 1848.

26) Episcopi Suffrag.

Ad dub.: An quando Episcopi Suffrag. accedunt ad Ecclesiam Turritanam Metrop. in functionibus sol. aut pro audiendis concionibus in similibus possint sedere in sede cum postergali et sibi pulvinar et pannum coloris violacei sternere in qualibet parte Ecclesiae aut saltem in aliqua capella privata circa praejudicium Metropolitanum? S. C. resp.: Deberi, ut in precibus, locum et sedem. N. 3080 die 10. Febr. 1685.

Vd.: *Suffragan. celebrans. (Assist. et Ministri). Sedes Episcopi* (forma, locus etc.); *Sedes Cleri* (in Synodo); *Sedes Episcop. int. sese in Synodo etc.*

27) Episcoporum inter sese in Concilio Trid.

Vd.: *Episcop. (praeced.); Praecedent. inter Episcop.*

Ordo, quo Praelati in Sacro Concilio Tridentino locum habere debent in actibus publicis.

Pius Papa IV.

Sicut ea, quae pacem et concordiam nutriunt, pura mente semper inquirimus, ita ex debito nostrae pastoralis sollicitudinis tenemur illa submovere, quae discordiam suscitare et scandalum introducere posse videntur.

Itaque ad tollendam omnem controversiam materiarum, quae inter Praelatos ad celebrationem sacri oecumenici et generalis Concilii in civitate Tridentina pro tempore congregatos super eorum praecedentia forte jam sunt exortae et in dies oriri possunt, volumus ac vobis per praesentes mandamus ut omnes et singulos Praelatos praedictos, videlicet venerabiles fratres Patriarchas primo, secundo Archiepiscopos, tertio autem loco Episcopos, in quibusvis actibus publicis, secundum gradum et ordinem suarum ad eorum ecclesias promotionum (ita quod qui prius promotus ad eas fuerit in suo quisque ordine prior existat), incedere, sedere ac locum habere (nulla habita ratione ad ipsorum dignitates primatiales, sive verae sive praetensae illae fuerint), auctoritate nostra faciatis studioseque et diligenter curetis, atque pro vestra prudentia ac pietate geratis ut cuncta istis concordibus animis, in virtute Spiritus Sancti, cum Dei omnipotentis honore atque timore, quiete feliciterque procedere valeant.

Non obstantibus praemissis et quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 31. Dec. 1560. Pontif. anno II.

(Bull. r. t. VII. p. 96. Ed. Aug. Taur. 1862.)

28) Episcop. int. sese in Synodo provinciali.

Vd.: *Episcop. (praeced.)*

Strigonien.

Votum Magistri Caeremon.

1. Quod jam diu Emmi et Rmmi D. Cardinalis Archiepiscopi Strigoniensis atque Rmmorum Antistitum illius provinciae in votis erat, ut provincialium Synodorum usus longo annorum intervallo intermissus instauraretur, id tandem, Deo favente, in majorem rei ecclesiasticae spem et gloriam per Synodum Strigonii novissime celebratam fauste feliciterque obvenisse laetamur. Quod autem humanae conditionis est, inter Episcopos provinciales, qui inibi convenerant, excitata est quaestio super praecedentia in ordine sedendi scribendique. Ejus autem quaestionis, si causam quaeratis, Emmi et Rmmi Patres, ea fuit, quod nimirum alter eorum, Reverendissimus Georgius Girk, in numero Episcoporum provinciae Strigoniensis cooptatus die 10. Martii 1853 praecedentiam nonquidem a suscepto Episcopatum Quinque Ecclesien., sed ab anno 1838, quo episcopali consecratione et titulo ecclesiae Adrasen. in partibus donatus fuit, sibi deberi existimabat supra caeteros, qui in ordine episcopali, ratione consecrationis, recentiores sunt. In aliam vero abiere sententiam tum Emmus Cardinalis Archiepiscopus, tum reliqui coepiscopi, qui omnes in eo consentiebant, ut qui potissimus titulus erat

antistiti Quinque Ecclesien., sedendi subscribendique in Synodo, adeptio scilicet comprovincialis sedis idem esse deberet et praecedentiae. Votis Episcopi Quinque Ecclesien. sententia haec minime arrisit; acquievit tamen, ita ut „salva in omnibus erga singulos reverendissimos antistites et eminentissimum Cardinalem Metropolitanum reverentia, praejudicium, quod hac vice sibi illatum esse censebat, instar querelae ad iudicium synodale detulerit petieritque, eam inter acta praesentis Synodi assumi atque subin cum caeteris actis s. Sedi Apostolicae, a qua unice authentica et legalis interpretatio haberi potest, pro decisione et obtinenda in futurum certa cynosura substerni.“

2. Facti serie breviter exposita nonnullisque rationum momentis pro tuendo suo Synodique consilio in medium prolatis Emmus et Rmmus D. Cardinalis Scitowski Archiepiscopus Strigonien. et Primas in Hungariae regno per literas sub die 24. Octobris p. p. Strigonii in Hungaria datas ad SSmi D. N. Pii Papae IX. pedes rem obsequentissime detulit, super qua, Pontifice Maximo jubente, per secretarium S. C. ecclesiasticis negotiis extraordinariis praepositae consilium vestrum, Emmi et Rmmi Patres legitimis ritibus cognoscendis praepositi, exposcitur, invitato prius per literas 2. Decembris ad Emmum D. Archiepiscopum Episcopo Quinque Ecclesien. ad suas rationes, si quas insuper haberet, sacrae huic Congregationi deducendas, ne, indicta causa, sententia ferri videretur; postulationi satisfactum est ab utroque; nam alter literis diei 5. Januarii p. p. *promptissime adclusit ejusdem Episcopi originariam remonstrationem*, alter literis diei 12. ejusdem mensis misit eandem deductionem motivorum iudicio synodali 20. Septembris a. p. querelae instar . . . exhibitam, atque insuper allegatis motivis et illud me-

rito addi posse demisse censuit exemplo ducto a Synodo nationali Tyrnaviensi anni 1630.

3. Omnia haec una cum hoc voto, quod in mandatis mihi datum est ut aperiam, vobis Emmi et Rmni Patres, humillime subiciuntur, ut summa, qua fulgetis, sapientia iudicium super proposita controversia feratis. Non sit autem qui miretur praecedentiae quaestionem inter spectatissimos Episcopos agitari, „non enim facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major,“ (Luc. 22, 24), sed potius excitatus est zelus, quo curandum est, ut omnia honeste et secundum ordinem fiant (1 ad Corinth. 14, 40). Huiusmodi quaestiones oriri facile posse vel ex eo patet, quod initio cuiusque Synodi soleat prudenter promulgari decretum, quo declaretur ex ordine inibi sedendi nihil detractum iri juri habendi praestantiorum locum, quod quisquam sibi competere existimet, quod ab ipso s. Carolo Borromaeo factum esse scimus.

4. Nemo unquam sane inficiabitur praecedentiam inter personas episcopali dignitate ac caractere insignitas desumendam esse „a die decreti consistorialis super expeditione ecclesiae,“ ut sacra haec Congregatio respondit die 2. Martii 1641, ita ut qui prius electus seu promotus et a Summo Pontifice in consistorio propositus et confirmatus sit, debeat alteri cuiuscumque dignitatis et qualitatis postea electo, proposito et ut supra confirmato praecedere, quemadmodum in Segrobrien die 21. Martii 1609 eadem s. Congregatio confirmavit. Hinc in huiusmodi controversiis instar canonis et pro certo habendum est, praecedentiam regulandam esse a die decreti consistorialis super expeditione ecclesiae, juxta alterum decretum 2. Martii 1641. Ut haec, quae generali

praescriptione statuuntur in memoratis decretis, in Synodo etiam provinciali stricte servanda esse ostendat Episcopus Quinque Ecclesien., plures in medium promittat auctoritates, quae licet disserte enumerentur in ejus protestatione, operae tamen pretium existimo, eas ad verbum oculis vestris subicere addito earum textu, quos ille tantum contracte citat. Sunt autem, quae sequuntur:

5. Sane canon VII. dist. 17 haec habet: „Episcopum secundum ordinationis suae tempus sive ad considerandum in Concilio sive ad subscribendum vel in quacumque alia re sua attendere loco decernimus et suorum sibi praerogativam ordinum vindicare.“

Canon. I. dist. 18: „Placuit, ut, conservato Metropolitanum primatu, ceteri Episcopi secundum ordinationis suae tempus alius alii deferat locum.“

Cap. I de majorit. et obed., ubi respondens s. Gregorius Augustino, Episcopo Anglorum, a quo fuerat interrogatus de nonnullis spectantibus ad regimen ipsius provinciae et de praecedentia inter Londoniensem et Eboracensem praesulem, haec rescripsit: „Sit vero inter Londinae et Eboracae civitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio ut ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus.“

Caeremoniale Episcoporum cap. XXXI. lib. 1. num. 15: „In sessione vero et ordine proferendi vota observandum est, ut Episcopi praecedant juxta ordinem eorum promotionis, nullo habito respectu ad dignitatem vel praerogativam ecclesiarum.“

6. Addit etiam ac citat *Benedictum XIV. de Syn. dioec. lib. 3. cap. X. num. 3.* Ibi agitur de loci post Episcopum honorabilioris praerogativa, quam (in Synodo dioeclesana) debet Vicario generali praeclarissimus

auctor validis argumentis ostendit, quod quidem qualem habeat cum hodierna quaestione rationem favore Episcopi Quinque Ecclesien. non video.

Magis fortasse accommodantur, quae citantur de eodem auctore sequenti n. VI.: Inter abbates autem ille censetur alteri honore antecellere, qui prius abbatiam est assecutus, nulla habita ratione antiquitatis seu dignitatis ordinum, quibus sunt addicti, ad normam sententiae latae a Pio IV. in causa praecedentiae inter Canonicos regulares Lateranenses et monachos Cassinenses etc. Generatim enim in quaestionibus de praecedentia receptum est, ut, caeteris paribus, ille alteri praeponatur, qui prius ad dignitatem est promotus, quod ex textibus in can. final. dist. 17. et in cap. 1. et cap. 15. de major. et obed. bene deducunt Cassanus etc.“

Tandem instructio Emmi praefecti sacrae Congregationis Concilii ad Emmum Archiepiscopum Viennensem die 16. Aprilis 1855: „Episcopi comprovinciales loca sua secundum consecrationis episcopalis susceptae tempus habebunt.“

Quae quidem omnia (cum aliqua tamen restrictione quoad auctoritatem desumptam a Benedicto XIV.) ita clara sunt atque formulis adeo explicitis declarata, ut dubitandum non sit, inter Episcopos provinciales synodo coadunatos praecedentiae rationem, salvo Metropolitanum primatu, non aliunde profecto „quam secundum ordinationis suae vel consecrationis episcopalis susceptae tempus vel respective promotionis ordinem desumendam esse. Investigandum tamen sedulo est ac diligenter inquirendum, quid per ea verba secundum ordinationis, consecrationis episcopalis, promotionis tempus, sensu quidem verborum eorum-

dem intrinseco ac nativo proprie ac vere intelligi oporteat, ut inde inferatur: an in casu, de quo agitur, ex allatorum canonum ac caeterarum dispositionum auctoritate praecedentia Episcopi Quinque Ecclesien. desumenda sit absolute a sola consecratione seu potius discretive, quatenus scilicet consecratio ab ejus immissione in illam provincialem sedem disjungatur?

8. Quod ut facilius dignoscatur liceat mihi, quoniam nihil certi ac deliberati hac super re invenire potui, iis uti argumentis, quae ad ferendam sententiam aptiora quidem ac magis rei eidem conformia visa sunt. Nihil itaque magis opportunum esse arbitror, quam eosdem canones eademque testimonia cum aliis ordinationibus ac statutis, quae in primitiva ecclesia vigeant, invicem conferre, ut ex simultanea eorum collatione legitimus sensus clarior appareat.

9. Et primo quidem inspiciamus, quae fuerit vetusta ecclesiae disciplina circa Episcoporum electionem et ordinationem. Antiquitates ecclesiasticas pervolventi facile occurrit, id in Episcopo valde cautum fuisse, ut is (extraordinariis quibusdam casibus exceptis) de ejusdem ecclesiae, cui praeficiendus erat, clero eligeretur. Peregrini enim, quos populus haud noverat, ecclesiasticis regulis prohibebantur, quominus Episcopi fierent: *Episcopus*, inquit s. Cyprianus ep. 68. al. 67 ad frat. Hispaniae, *deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit et uniuscujusque vitam de ipsius conservatione perspexit.* Et hic mos ita erat in universa ecclesia observandus, ut Julius Papa ep. ap. Athan. Apol. II. tom. I. pag. 249, edit. Paris. 1698 adversus *Gregorium*, quem Arianorum factio ecclesiae in locum Athanasii obtrudere conabatur, id vehementer urgeret, externum esse

hominem, non illic baptizatum, compluribus ignotum, nec a Presbyteris vel ab Episcopis vel a plebe postulatum.

10. His addendum est, quemlibet Episcopum juxta canones atque ecclesiae consuetudinem in sua ipsius ecclesia praesente populo ordinari consuevisse. Lueulenter id testatur s. Cyprianus loco mox citato: *Ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciae convenient et Episcopus deligatur plebe praesente.* Et inter ea, de quibus Pontifex Julius paulo ante memoratus Arianos graviter objurgabat, id quoque querebatur, quod Gregorius Antiochiae Episcopus ordinatus et Alexandriam missus sit militari stipatus manu, cum tamen secundum ecclesiasticum canonem ἐν αὐτῆς ἐκκλησίας in ipsa ecclesia Alexandrina ab Episcopis provinciae illius constitui oportuerit. Quod Augustini exemplo confirmatur, quem in ipsa ejus ecclesia Hipponae a primate Numidiae (Megalio Episcopo Calamensi) ordinatum fuisse narrat Possidius (Vit. August. cap. VIII) et cum, dioecesi ejus divisa novoque Fussulae Episcopatu erecto, ipse Episcopum elegisset, ad primatem, longo licet itineris intervallo disjunctum, misit, ut ad locum istum veniret ibique eum ordinaret: *Propter quem ordinandum, sanctum senem, qui tunc primatum Numidiae gerebat, de longinquo ut veniret rogans literis impetravi.* August. ep. 261.

Hinc usus ille ad instar cujusdam veluti legis inductus ut quisquis Episcopus hujusmodi professionem ad onus Episcopatus in illa tali ecclesia ordinationis seu natalis sui diem nuncuparet et annua solemnitate, habita etiam homilia, celebraret. S. Ambrosius in sua epistola IV. ad Felicem de initi ab eo Episcopatus die loquens: „Natalem autem tuum, inquit, prose-

quamur nostris orationibus et tu nostri in tuis votis non obliviscaris“. Et s. Augustinus in homilia, quae est 24. inter 50: „Cum, ait, dies anniversarius nostrae ordinationis exoritur, tum maxime honor hujus officii tamquam primum imponatur, attenditur“. Hinc *Enthronisatio*, quae fiebat, cum finita consecratione Episcopi, qui aderant, Episcopum modo ordinatum in Cathedram seu thronum ipsius deducebant in eoque collocatum sancto osculo in Domino omnes salutabant. Hinc *litterae*, quae a tempore et circumstantia, in qua novus Episcopus eas mittebat ad extraneos Episcopos, ut eis fidem et orthodoxiam suam testatam faceret, *Enthronisticae* appellabantur. Evagr. lib. IV. cap. V.

12. Quae quidem omnia quis non videt eo spectare, ut, qui constituebatur alicujus ecclesiae Episcopus, in ea una regenda totam, quae ei supererat, vitam impendere deberet? Hinc translationes Episcoporum de una in aliam ecclesiam omnino vetabantur. Porro canon XV. Concilii Nicaeni (tom. 2. concil. p. 26) haec habet: „A civitate in civitatem nec Episcopus nec Diaconus transeat. Si quis autem post magnae et sanctae Synodi definitionem tale quidpiam aggressus fuerit vel causam rei ejusdem dederit, quod factum est omnino infirmabitur et ecclesiae restituatur, cui Episcopus vel presbyter ordinatus fuerit“. Canon I. Concilii Sardicensis (tom. 2. Concil. pag. 628): „Ne cui Episcopo liceat a parva civitate in aliam transire“. Canon XXI. Concilii Antiocheni (ibi pag. 571): „Episcopus ab una parochia in aliam ne transeat, necne sua sponte ingerens, nec a populis vi adactus, nec ab Episcopis coactus“. Canon XXVIII. Concilii Carthaginensis III. (ibi pag. 1172): „non liceat fieri rebaptizationes et reordinationes vel translationes Episcoporum.“

13. Et ne longior sim, Cardin. Bellarminus in tractatu *de officio primario Summi Pontificis* ad Clementem VIII. paucis complectitur quaecumque hac de re in sacris canonibus habentur: „Translatio Episcoporum secundum canones atque usum veteris ecclesiae non debet fieri nisi ob ecclesiae necessitatem vel majorem utilitatem; neque enim institutae sunt ecclesiae propter Episcopos sed Episcopi propter ecclesias . . . praesertim cum id sine animarum detrimento fieri nequeat, ut experimentum ipsum docet; non enim Episcopi ecclesias diligunt, quas brevi se deserturos sperant, ut ad alias commodiores transeant“.

14. Atque ut eo, unde digressa est, revertatur oratio, jam patet praefatas omnes leges ac dispositiones tum de modo electionis et consecrationis Episcoporum, tum de prohibitione translationis eorumdem de una in aliam ecclesiam, pro qua consecrati non fuerunt, eo directe spectare, ut intelligatur, in locutione sacrorum canonum et in veteri ecclesiae disciplina nullum intercedere discrimen inter electionem alicujus Episcopi, ejus immersionem ad episcopalem Sedem ejusdemque ordinationem seu consecrationem et inter ecclesiam ipsam, ad quam semel electus, inmissus et consecratus fuerat, ita ut unum idemque semper esset et tempus consecrationis et tempus suscepti regiminis propriae ecclesiae. Quibus omnibus si placeat comparare praefatos canones VII. dist. 17. et dist. 18., sponte velut sua fluere videtur conclusio, eos per illa verba *secundum ordinationis suae tempus* non aliud profecto significare velle aut posse quam *tempus electionis et immersionis suae* in illam ecclesiam.

15. Neque hac regula aliquid utilius aut simplicius aut naturae magis consonum excogitari potest, cum ex

eadem, juxta praemissa, nulla possit oriri complicatio inter tempus consecrationis et tempus adeptae Sedis episcopalis, utrumque enim significabatur per ipsum *ordinationis* vocabulum. Hinc lege sancitum erat, ut *matricula* seu *archivus ordinationum*, quemadmodum vocabant, tum in ecclesia Primatis tum in Metropoli provinciae asservaretur, quo singulorum Episcoporum consecrationis tempus demonstraretur. „Placuit (eod. can. eccl. afr. c. 86., Joan. II., Concil. p. 2001) omnibus Episcopis, qui in hoc concilio subscripserunt, ut matricula et archivus Numidiae et apud primam sedem sit et in Metropoli“.

16. Hinc facillima res erat Metropolitanum Concilium provinciale convocanti tractorias seu epistolas suas citatorias mittere in eis singulorum Episcoporum, qui vocabantur, nomina inscribere, servato consecrationis cuiusque ordine, ut idem ordo in sessione ac subscriptione aut *in alia quacunque re* servaretur. Quod si, non obstante hoc catalogo, confusio aliqua obreperet, quod aliquando accidisse ex Augustino discimus, qui conquestus est suum nomen multis aliis aetate ordinationis ipsum superantibus in hujusmodi tractoria epistola antepositum fuisse, „quae res, ait, (ep. 217 ad Victor.) et aliis injuriosa“, opportune cavet Concilium Milevit. can. XIV. (tom. II. p. 1541) „ut quicumque ab Episcopis ordinantur literas accipiant ab ordinantibus suis manu eorum subscriptas continentes consulem et diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur“.

17. Atque in hoc canonum veterisque ecclesiasticae disciplinae sensu inscriptam legimus in Missali romano missam, quae celebranda praescribitur die *anniversario* electionis seu consecrationis *Episcopi*.